



zu 005

O. i. 840 (1-101).

THESES  
TT. SI QVA  
DRVPES PAUPERIEM  
FECISSE DICATVR, ET, AD  
L. AQUILIAM.

QVAS DEO OPT. MAX. DVCE, SVB  
PRAESIDIO CLARISS. VIRORVM, D. IOANNIS  
Michaëlis Cronenburgh, & D. Ioannis Hollandt, SS.  
LL.Licent. Dictatoris & Fiscii, in florentissimo apud  
Agrippinates Iuridicæ facultatis Collegio  
publicè disputandas ac defenden-  
das proponit

IACOBVS A TRIEST.

*Anno Domini 1591. 4. Julij.*



COLONIAE AGRIPPINAE      Ee  
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT.

## CONTINUATIO.

**D**isputatum est hucusque de actionibus merè realibus. recto nunc ordine sequuntur illis consimiles, De pauperie, & l. Aquilia: quæ personales quidem sunt, sed instar realium damna nobis, nostrisq; rebus data restituunt. (a)

(a) gl. & VVesemb. h. t. in princ.

### THESIS I.

**A**CTIO de pauperie (a) tanquam vetustissima (b) premititur. Pauperie est damnum sine iniuria facientis datum. nec enim dici potest animal iniuriam fecisse, quod sensu (c) caret. (d)

(a) sic vocatur in §. vlt. Inst. h. t. Est autem in numero noxalium actionum, §. i. Inst. h. t. (b) quia descendit ex l. 12. tab. l. 1. in princ. ff. & §. i. Inst. h. t. l. verò Aquilia plebiscitum est, utpote ab Aquilio tribuno plebis rogata, §. illud palàm est, Inst. de l. Aquilia. (c) id est, animo iniuriæ, τὸ ποιοῦν ἐστὶν, intellectu & voluntate. Vtriusque enim actio in iniuria facienda concurrat oportet, l. 1. de minorib. l. 1. de iniur. l. qui ea mente, 67. de furt. VVesemb. in §. i. Inst. h. t. n. 3. & ad Schn. n. 2. (d) d. l. 1. in prin. ff. & §. i. Inst. co.

### II.

Hæc actio locum habet, cum nulla hominis culpa precedente, (a) animal (b) contra naturam & consuetudinem sui generis (c) nocuerit, siue corpore suo, siue per aliam rem, quã tetigit. (d) Et si alia quadrupes aliam concitauit, ut damnum daret, eius quæ concitauit, nomine agendum. (e)

(a) nam alioqui locum habet actio l. Aquiliæ, aduersus eum qui in culpa est. d. l. 1. §. quòd si, §. sed et si canis, §. & generaliter, h. t. (b) nec interest effectui, cuiusmodi sit animal, nam si sit quadrupes, actio directa cõpetit, ex verbis legis, l. 1. & passim. co. si aliud animal, putà bipes, ut si grus vel ciconia puerũ eluscauerit, reptile, piscis, utilis ex sententiã legis, l. pen. co. quod & Imp. innuit, dũ vitur generali dictione, animalium, §. i. Inst. co. vt ib. not. Myns. (c) d. l. 1. §. itaque, §. generaliter, ff. §. 1. §. hæc autẽ actio, Inst. co. (d) vt si plaustro bos obtriuit aliquẽ, vel qua alia re deiecta, d. l. 1. §. siue autẽ. co. (e) d. l. 1. §. et si alia quadrupes, co.

### III.

Quòd si secundam naturam suam nocuerit bestia, eaq; mansueta, putà, si bos sata, vel gramina depastus sit, sus glandes legerit, non hæc, sed propria de pastu pecoris actio, (a) vel utilis, seu in factum l. Aquilia (b) datur.

(a) l. qui seruandarum, 15. §. si glans, ff. de præscript. verb. l. fin. C. de l. Aquil. VVes. in parat. h. t. in fin. (b) idq; ex dolo, vel custodia non satis diligenter adhibitã, l. si feruus seruũ, 27. §. si fornacarius, ff. ad l. Aquil. l. videamus, 12. l. qui insulam, 37. §. qui mulas, ff. locati. vide Myns. in §. 1. nu. 8. 9. & 10. Inst. co.

### IIII.

Si verò fera pauperiem fecerit, tunc quidem actio cessat, cum domini custodiam eua-  
sit. (a) Quòd si adhuc in domini potestate constituta ibi habeatur, quã vulgò iter fit, ei, qui damnum accepit, & adilitia, (b) & utilis de pauperie (c) actio competit. Nec vnus condemnatus ab altera liberatur. (d)

(a) cum enim fugiendo in naturalem libertatem sese receperit, desijt in potestate domini esse, d. l. i. §. in bestijs, h. t. §. seræ Inst. de rer. diuis. (b) §. cæterum sciendum est, Inst. co. (c) d. §. cæterum sciendum est, Inst. co. quæ etiam competit, si aliud animal non quadrupes pauperiem fecit, uti supra notat. ad thes. 2. (d) atque ita fit in cæteris, præsertim pœnibus, de eadem re concurrentibus, tex. in d. §. cæterum, in fin. Inst. co. l. nunquam, 173 ff. de reg. iur. l. cum ex vno, 31 ff. de oblig. & act. quod tamen sic intelligendum, quando plus est in vna quàm in altera, text. in l. i. ff. de vi bon. rapt. l. i. ff. arb. furt. cæf. l. vnde quæritur, 7. in fin. ff. commodari. nam si id quod intendo, vna actione plenè consecutus sum, non habeo regressum ad aliam, cum bona fides nunquam patiatur, idem bis exigi, c. bona fides, de reg. iur. in 6. l. si is cui, 73 ff. de furt. text. in l. quod in hærede, 9. §. eligere, vbi Costal. ff. de tribut. act.

### V.

Dubitat hîc, vtrum alicui quadrupedem damnnum agro suo inferentem capere, & pignoris loco retinere liceat, donec dominus eius de damno sibi satisfaciat? Et cum dominus pro damno accepto competentibus actionibus (a) conueniri possit, non licere deciditur: (b) nisi fortè tantisper retineatur, dum sciatur dominus. (c)

(a) de quibus vide thes. 3. (b) imò debet eam abigere, uti suam, sine damno vel læsione. l. quamuis. 4. ff. ad l. Aquil. (c) arg. l. capite quinto, 25. ff. ad l. Iul. de adult. Cost. in d. l. quâuis. Schn. in §. fin. nu. 5. Inst. de l. Aquil.

### VI.

Cum duo animalia commiserint, siquidem id perierit, quod prouocauit, cessat actio: sin alterum, aduersus dominum prouocantis agitur. (a) Quod si non appareat prior assultus, nemo tenebitur. (b)

(a) d. l. i. §. cum arietes, h. t. arg. l. si ex plagis, 53. §. tabernarius, ff. ad l. Aquil. (b) arg. l. scientiam, 46. §. si cum stramenta, ff. ad l. Aquil.

### VII.

Hinc pulchrum à DD. motum est dubium, si duo pacem inierunt sub pœna, & postea commiserunt, vter pœnam præstare teneatur? Responsum est, quod is qui prouocauit, alter minime. (a) Quod si non apparet, vter prior prouocauit, neuter de pœna tenetur. (b)

(a) Bart. in d. l. i. §. cum arietes, h. t. arg. l. qui fidè, 16. ff. de transact. Abb. in c. i. de treug. & pac. (b) d. l. scientiam, 46. §. si cum stramenta, ff. ad l. Aquil. Cost. in d. l. i. h. t.

### VIII.

Competit hæc actio non solum domino, verum etiam alijs, quorum interest, ut commo datario, fulloni, (a) etiam heredibus, cæterisq; successoribus, (b) aduersus dominum, non cuius fuerit quadrupes, cum noceret, sed cuius nunc est, cum agitur, (c) & quidem si plurius sit animal, aduersus singulos in solidum, (d) itemq; aduersus hæredes, cæterosq; successores. (e)

(a) cum enim domino nomine damni in re dati teneantur, pati damnnum à quadrupede, quæ pauperiem fecit, videntur, l. 2. h. t. (b) d. l. i. §. vlt. h. t. vtpote cum sit rei, nimirum damni persecutoria. VVef. ad Schn. h. t. n. 6. (c) cum vt in hominibus, ita & in quadrupedibus noxa caput sequatur, d. l. i. §. & cum h. t. (d) d. l. i. §. & cum, h. t. noxales enim actiones diuisionem non recipiunt, l. si feruus feruum, 27. §. i. ff. ad l. Aquil. l. si feruus, 8. ff. de noxa, act. (e) non iure successionis, sed eo iure, quo domini sunt, d. l. i. §. vlt. h. t.

Competit

## IX.

Competit autem ad hoc, ut aut noxie, hoc est, damni æstimation præstetur, aut ipsum animal dedatur. (a) Liberatur tamen dominus, si decefferit animal sine sua culpa, ante litem contestatam: (b) Secus, si dolo, aut culpa sua, (c) vel post litem contestatam. (d)

(a) d. l. i. in prin. & ibi Costal. h. t. (b) d. l. i. §. & cum. quia alternatiuè ei locus esse non potest, scilicet aut noxam sarcire, aut noxam dedere. d. l. i. §. cum arietes. non enim dedi mortuum potest, quia noxam dedere, est animal tradere viuum. d. l. i. §. & cum. (c) tum enim de tracta noxam mentione, in solidum erit actio. arg. l. non solum, 13. c. l. seq. ff. de rei vendic. l. si ex legati causa, 23. de verb. oblig. VVesemb. ad Schn. h. t. nu. ii. (d) quo casu quoniam noxam dedendi facultatem dominus amisit, debet litis, hoc est, damni æstimationem ferre, aut actionem l. Aquiliæ agenti mādare, contra illum qui occidit, d. l. i. §. si post. h. t. VVes. d. lo.

## X.

Tenetur etiam dominus in solidum, (a) si in iure interrogatus, an sua sit quadrupes, falso respondeat, suam non esse: (b) vel si alternatiuè condemnatus, & neutrum præstans, postmodum actione iudicati conueniatur. (c)

(a) non ut noxam dedat, sed ut æstimationem damni solidam præstet. VVes. in parat. h. t. n. 6. (b) d. l. i. §. interdum. h. t. (c) l. item veniunt, 22. §. idem rectè ait, & ibi glo. ff. de petit. hæred. Myns. Inst. h. t. ad rub. nu. 3. Et hæc iure Ciuili cōstituta sunt, Ordinatione autem Imperij, arbitrio iudicis pauperies æstimatur. cap. 130. VVesemb. in parat. h. t. n. 6.

## DE LEGE AQUILIA.

## XI.

Sequitur actio l. Aquilia, quæ aliàs damni iniuria vocatur. (a) l. Aquilia olim tria fuerunt capita, nunc, medio abolito, (b) tantum duo sunt. Priore cautum est, ut si quis alienum seruum, alienamue quadrupedem, quæ pecudum (c) numero sit, iniuria occiderit: (d) quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur: (e) contra negantem verò dupli condemnatio procedat. (f)

(a) §. i. Inst. h. t. (b) utpote sub alijs satis comprehenso. Myns. in §. i. n. i. Inst. eo. (c) Dicuntur autem pecudes, quæ gregatim pascuntur, ut oues, boues, equi, asini, & c. §. i. Inst. l. 2. ff. eo. Feras igitur bestias, & canem occidens, non ex primo, sed tertio capite tenetur, nisi animalia fera operam iumentorum præstent, ut cameli, & elephanti, quia tunc pro mansuetis habentur. d. l. 2. §. fin. Schn. in §. i. nu. 9. Inst. eo (d) 3. igitur requiruntur, ut ex hoc capite actio competat, 1. quod reus interfecerit seruum, vel quadrupedem. 2. quod quadrupes interempta pecudum numero contineatur. 3. quod iniuria occiderit. (e) d. §. i. Inst. d. l. 2. ff. h. t. (f) d. l. 2. in princ. l. inde Neratius, 23. §. hæc actio. ff. l. contra negantem, 4. C. h. t. idq; ad vindictam mendacij. VVes. in parat. h. t. nu. 7.

## XII.

Nec tantum venit æstimation corporis occisi, quanti plurimi eo anno vendi potuisset, sed ex interpretatione legis omne quoque damnum, quod ex illo facto accidit: puta si seruus hæres ab aliquo institutus, antequam iussu domini hereditatem adierit, occidatur, tenetur occidens non tantum de seruo occiso, sed etiam de damno amissa hereditatis. (a)

(a) d. l. inde Neratius, 23. §. i. & 2. & §. Sed & si seruus, ff. §. illud. Inst. h. t. & sic in actione l.

ne. l. Aquiliae habetur etiam ratio lucri cessantis, & interesse extrinseci. Cuius contrarium alias est regulare. l. si sterilis, 22. §. cum per venditorem. ff. de act. empt. Schn. in d. §. illud. Inst. h. t.

### XIII.

*Iniuriam autem hic accipere nos oportet, non, quemadmodum circa iniuriarum actionem, contumeliã quandam, sed omne quod non iure factum est, hoc est, damnum nobis, nostrisq; rebus datum quocumque modo, siue dolo, siue culpa, lata, leui, & leuissima. (a) Aestimationem quoq; intelligere debemus, quanti plurimi res valuit anno praterito, à tempore damni dati, (b) secundum commune pretium, (c) non singulare. (d)*

(a) l. sed etsi, §. §. iniuriam, & seq. l. in l. Aquilia, 45. ff. h. t. Imperitia quoque culpæ annumeratur, ex qua medicus, obstetrix, Iudex, assessor, aduocatus, & quicumque artifex tam literatus, quam illiteratus l. Aquilia tenentur. §. præterea, & ibi Ang. VVef. & Schn. Inst. h. t. Item infirmitas, cum affectare quis non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam alij periculosam futuram. l. idem, 8. ff. h. t. (b) hinc dicitur, quod Aquilia habeat oculos retro, quia respicit tempus præteritum. l. ait lex, 21. h. t. Schn. §. 1. n. 9. Inst. co. (c) nempe quod communiter aestimatur, & à quolibet sciente qualitatem rei datur. l. si seruum, 33. ff. h. t. (d) quod singulariter aestimatur ex aliquo speciali affectu, vide Schn. in §. 1. n. 10. & 11. Inst. h. t. & in §. fin. nu. 18. 19. & seqq. Inst. de verb. oblig.

### XIV.

*Itaque qui seruum latrocinantem, vel alioqui vim inferentem, cum aliter se, suasq; res tueri non posset; (a) qui casu, nulla omnino culpa præcedente, (b) occidit; deniq; furiosus & infans, (c) hac lege nequaquam tenentur.*

(a) §. iniuria, & ibi VVef. Inst. h. t. vim enim vi defendere omnes leges, omniaq; iura permittunt. l. scientiam, 46. §. qui cum aliter. ff. h. t. seruato tamen moderamine inculpatae tutelæ. l. si ex plagis, 53. §. tabernarius. ff. h. t. l. 1. & ibi glo. ordinaria. C. vnde vi. (b) d. §. iniuria. Inst. co. casus enim fortuitus præuideri non potest. l. quæ fortuitis, 5. C. de pign. act. (c) cum culpa absit. Infantem enim innocentia consilij tuctur, furiosum fati infelicitas excusat. l. infans, 12. ff. ad l. Cornel. de sicar.

### XV.

*Directa l. Aquiliae actio competit soli domino directo vel utili, ex verbis legis: (a) utilis verò ex interpretatione præstat etiam alijs, veluti usufructuario, (b) libero homini, pro damno sibi in corpore suo dato, (c) eiusq; heredibus, aut legatarijs, eadē nomine, perinde atq; defunctus ob vulnus agere potuisset. (d) Bonæ fidei autera possessori, cum dominus non sit, non hac, sed in factum actio, propter operas amissas datur. (e) Deinde directa quidem aduersus eum, qui corpore in corpus damnū dedit; aliàs utilis, vel in factum actio competit. (f)*

(a) l. item Mela, 11. §. legis autem. l. ob id. 44. ff. co. (b) d. l. item Mela, 11. §. an fructuarius. ff. co. (c) quoniam dominus membrorum suorum non videtur. l. liber homo, 13. ff. cod. (d) d. l. liber homo, 13. l. sed si ipse, 14. ff. co. VVef. in parat. co. n. 7. (e) d. l. item Mela, 11. §. sed etsi seruus. ff. co. (f) §. ceterum, & ibi DD. communiter. Inst. cod.

### XVI.

*Porro cum liberum corpus aestimationem non recipiat, (a) queritur, ad quid, libero homine occiso, heredi, aut legatario detur actio l. Aquiliae? Et licet in eum, ex cuius cœnaculo*

culo aliquid deiectum, vel effusum est, quasi ex maleficio obligatum, ob hominem liberum occisum, 50 aureorum, ob vulneratum verò, quantum iudici æquum videtur, pœna sit constituta: (b) tamen hac actione tam pro occiso, quàm debilitato, omnium in curatione factarum expensarum, omniq; lucri, quod cessantibus operis, & presentibus, & futuris, interuersum est, aestimatio venit. (c)

(a) l. ex hac lege, 3. ff. si quad. paup. fecif. dic. l. vlt. ff. de his qui deiec. vel effud. (b) l. i. §. sed cum liber homo, ff. de his qui deiec. vel effud. §. item is, 2. Inst. de oblig. quæ ex quasi delict. nasc. (c) d. l. ex hac lege, 3. ff. si quad. paup. fecif. dicat. d. l. vlt. ff. de his qui deiec. vel effud. V V esemb. in parat. h. t. num. 7.

### XVII.

Pluribus damnum dantibus, in solidum aduersus singulos hac actio datur, nec quantum ad pœna persecutionem attinet, vnius solutione ceteri liberantur. (a)

(a) d. l. item Mela, 11. §. sed si plures. vers. nam ex lege. ff. h. t. l. si quis id, 7. §. fin. cū l. seq. ff. de iurisdic. l. fin. §. fin. & ibi gl. ff. ne quis eum qui in ius voca. vi exim. l. vti que, 21. ff. de liber. caus.

### XVIII.

Sed questio hinc satis intricata incidit, an, si Titius mortiferè vulnerauit Sempronium, eundemq; ex interuallo modico postea interfecit Mauius, vterq; de occiso teneatur? Et verius est, priorem de vulnerato, posteriorem de occiso teneri. (a)

(a) text. expressus in d. l. item Mela, 11. §. Celsus. l. huic scripturæ, 15. §. si seruus. ff. h. tit. Zas. lib. 2. sing. intel. cap. 6. Costal. in l. ita vulneratus, 52. eo.

### XIX.

Quod si vulneratus quis fuerit non mortiferè, negligentia autem, vel alia qua causa perierit, de vulnerato actio erit, non de occiso. (a)

(a) l. qui occidit, 30. §. fin. & ibi Cost. ff. h. t.

### XX.

Iam verò dubitari potest, Quando vulneratus ex vulnere perijisse credendus sit? Quidã ita distinguunt, si intra triduum mortuus sit, præsumi illum ex vulnere mortuum, secus, si longo post interuallo. Sed magis eorum sententia placet, qui vniuersum hoc in peritorum medicorum iudicio, & discretione ponunt. (a)

(a) Costal. in d. l. qui occidit, 30. h. tit. per l. semel, 6. C. de re milit. lib. 12. & l. i. ff. de vent. inspici.

### XXI.

Cum autem ex quocunq; delicto, siue privato, siue publico, præter civilem actionem, ad emendationem damni, & interesse parti applicandum, criminalis quoque ad vindictam publicam detur, (a) dubium non est, quin hac quoque pro seruo, vel libero homine occiso, ex l. Cornelia de sicarijs agi possit, (b) modò cades dolo sit facta. (c)

(a) l. qui nomine, 25. & ibi Bald. & communiter DD. ff. ad l. Cornel. de falsi. prætor, 7. §. atqui solemus, ff. de iniur. l. fin. & ibi gl. ab omnibus approbata. ff. de priuat. delict. non tamē possunt simul & semel intentari principaliter in vno libello. l. interdum, 4. vbi Bart. ff. de pub. iudic. vide latius Schn. in §. liberum. Inst. h. t. (b) §. liberum. Inst. h. t. l. ex morte, 3. C. eo. l. i. §. præterea. vers. & qui hominem. ff. ad l. Cornel. de sicar. (c) quem l. Cornelia exigit



exigit. l. inde Neratius, 25. §. si dolo. ff. eo. l. in lege, 7. ff. ad l. Cornel. de sicar. Vnde casu occidens seruum, vel etiam liberum hominem, precedente culpa etiam lata, non tenetur l. Cornelia. punitur tamen alias criminaliter, sed mitius, & extraordinarie, arbitrio iudicis. Bart. in l. respiciendum. 11. §. delinquent. ff. de poenis, & in l. ff. de legib. Schn. in §. iniuria. n. 11. Inst. h. t.

## XXII.

Huius occasione, pulchra existit questio, An sententia absolutoria lata in causa civili pariat prauidicium in criminali? in qua placet distinctio Bart. (a) vt siquidem absolutoria lata sit super facto, quod scilicet crimen non sit commissum, obstat exceptio rei iudicata; (b) si vero super iure, quasi non sit probatum, non obstat: (c) & in dubio, potius sententia lata sit super iure, quam super facto. (d)

(a) in l. 2. §. hoc edicto. n. 3. ff. vi bonor. rapt. Bald. & Cyn. in l. ex morte, 3. C. h. t. Dyn. in c. nullus pluribus. n. 25. de reg. iur. in 6. (b) ratio, quia quodcumque illud quod est decum in vno iudicio, venerit examinandum in altero, obstat exceptio rei iudicatae. l. si quis cum totum, 7. §. si ancillam, & §. & generaliter. ff. de except. rei iudic. (c) arg. l. duobus, 28. §. exceptio. & l. fin. ff. de iureiur. (d) per l. Iulianus. 60. in princ. vbi Bart. nu. 29. ff. de condict. indeb.

## XXIII.

Hæc de prioribus capite l. Aquilia nunc ad posterius, olim tertium, progrediamur. Ex hoc agitur, quando vel seruus aut quadrupes pecudum numero contenta, non occisa, sed vulnerata; vel aliud quoduis animal pecudum numero non contentum, (a) occisum, vulneratumve; vel denique res qualibet inanimata rupta, ac deterior facta est, (b) siue dolo, siue culpa, etiam leuissima: (c) ad hoc, vt qui damnum dedit, tantum domino dare damnetur, quanti res illa triginta diebus (d) retro proximis plurimi fuerit. (e)

(a) vt canes, aues, cæteræq; feræ. (b) vt si tectum exustum, vinum vitiatum, vestis scissa, vel inquinata, vinetum corruptum, seges perdita, chirographum aut alicuius rei instrumentum deletum. (c) l. in l. Aquilia, 45. ff. h. t. (d) nec enim tam grauius puniendus est, qui læsit, quam qui occidit: debet enim pœna commensurari delicto. vulg. l. Diuus pius, 31. ff. ad l. Cornel. de fals. neque tanti cædes æstimanda est ferarum quadrupedum, quanti hominum vel pecudum, quarum vsus & commoditas maior existit. (e) l. si seruus seruū, 27. §. huius legis, cum §§. seqq. l. quemadmodū, 29. §. hac actione. ff. §. capite tertio. Inst. eo.

## XXIV.

Dubium hîc oboritur, si vulneratus sit aliquis vno ictu, putà bidente, ex quo duo vulnera acceperit, sic quod delictum ex parte inferentis sit vnus actus, respectu vero accipientis resultent plures, num vulnerans vna, vel pluribus pœnis teneatur? Pluribus illum teneri asserit Bart. (a) & rectè.

(a) in l. si gemina, 10. nu. 1. in fin. ff. arb. furt. cæs.

## XXV.

Queri & illud potest, cum modica castigatio marito in vxorem, (a) preceptorum in discipulum, (b) & similibus concessa sit, an si modum emendandi excedant, damnumq; ijs inferant, hac actione teneantur? Sanè cum nimia mariti & preceptoris seuitia culpa assignetur. (c) merito tenentur.

(a) l. si

(a) l. si constante, 25. §. si maritus, ff. solut. matrim. §. si quis autem propriam uxorem, & ibi gl. auth. vt liceat matri & auia. collat. 8. Menoch. de arbit. iudic. lib. 2. cent. 4. cas. 364. n. 9. Alex. conf. 115. n. 2. lib. 4. (b) l. sed etsi quęcunq; 5. §. si magister. h. t. (c) l. præceptoris, 6. co.

### XXVI.

*Quamuis, si libero homini damnum datum sit, cicatricum ac deformitatis nulla fiat æstimatio, cum nec totum corpus interemptum eam recipiat: (a) tamen non iniquum videtur, rationem quoq; deformationis in facie perpetuò herentis, (b) pro modo circumstantiarum interdum haberi, maxime si & culpa, & iniuria damnum datum sit.*

(a) l. vlt. ff. de his qui deiec. vel effud. (b) quam homini ingenuo multis impendijs longè grauiorem tristioremq; esse posse certum est. VVesemb. in parat. de his qui deiec. vel effud. nu. 5. Et hoc omnino fieri posse ac debere testatur Gomes. variar. resol. tom. 3. cap. 6. nu. 12. probat idem Did. Couar. lib. 2. cap. 10. tom. 2. vers. tenetur item is, vbi plures pro hac sententia allegat.

### XXVII.

*Si incendium culpa familie ortum sit, an dominus ex facto & delicto familie sit obligatus? Non est, nisi in culpa sit, quòd perditos homines in domum induxerit, vel tales in officio sibi commisso adhibuerit. (a)*

(a) l. si feruus, 27. §. si fornacarius, ff. h. t. l. videamus, 11. & ibi Cost. ff. locat. Idem Cost. in l. 1. ff. Naut. caup. stab. Gaill lib. 2. obser. 21. nu. 6. vbi ponit exemplum de stabulario, qui ignem, aut candelam in stabulo negligenter custodit, quia peccat circa officium sibi commissum: sed si in alio loco culpa stabularij incendium ortum sit, non tenebitur dominus, quia extra officium sibi deputatum deliquit.

### XXVIII.

*Nec vicinus vicino, si domus vicina vnà conflagrauit, ad damni æstimationem ex hac l. tenetur, (a) nisi sua culpa incendium sit exortum. (b)*

(a) quia incendium non probata culpa certi hominis, inter casus fortuitos connumeratur, qui non præstantur. l. contractus, 24. §. fin. ff. de reg. iur. Gaill lib. 2. obs. 21. num. 3. (b) quoniam hoc casu incendiū inter casus fortuitos non connumeratur, cum constet de certa & determinata persona. Salic. in l. quæ fortuitis, 5. nu. 7. C. de pign. act. Gaill d. obser. num. 1. & 2.

### XXIX.

*Deniq; nec is, qui incendiij arcendi gratia, vicinas edes, quibus incendium proximum erat, intercidit ac demolitur, hac actione conueniri potest siue iussu magistratus hoc fecerit, siue iusto solum metu inductus, etiamsi ignis eò non peruenerit. (a)*

(a) text. sing. in l. si quis fumo, 50. §. quod dicitur, ff. h. t. l. quo naufragium, 3. §. quod ait prætor. ff. de incend. rui. naufrag. Gaill lib. 2. obser. 22. nu. 4. vbi dicit domum incendiij causa dirutam sumptibus vicinorum reparari debere. per text. in l. 1. & l. 2. ff. ad l. Rhod. de tact.

## COROLLARIA.

- I *Si fera, que fugit, & nocuit, postea in manum domini redeat, cessat actio. (a)*  
(a) quia nunquam fuit nata. Fab. in §. 1. n. 1. Inst. si quad. paup. fecit dic. Myns. ibid. n. 12. fac. l. qui res, 98. §. aream, ff. de solut. & l. si feruus legatus, 27. ff. de alim. leg.
- II *Actio l. Aquilia, quando agitur ad damnum illatum solum, perpetua est.*  
arg. l. vlt. §. vlt. ff. Naut. caup. stab. VVes. ad Schn. in §. his aut verbis. n. 4. Inst. de l. Aquil.

153255

AB: 153255

(X2203998)


K





De legibus et constitutionibus Imperatorum





THESES  
 SI QVA  
 S PAVPERIEM  
 DICATUR, ET, AD  
 . . . AQUILIAM.

PT. MAX. DVCE, SVB  
 RISS. VIRORVM, D. IOANNIS  
 urgh, & D. Ioannis Hollandt, SS.  
 oris & Fisci, in florentissimo apud  
 Iuridicæ facultatis Collegio  
 disputandas ac defenden-  
 das proponit

VS A TRIEST.

*Domini 1591. 4. Julij.*



INIA AGRIPPINAE Ee  
 T PETRVS KESCHIDT.



28

